

habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, etc. ergo sermo est de matrimonio adhuc contrahendo, cessante metu; non vero approbatur contractum ex metu injusto.

Ad 2^{um}. R. N. *Ant.* Præjudicat enim juri canonico, quod boni publici causa irritavit matrimonium extortum metu; quatenus ex tali matrimonio nasci solent pugnae, lites, scandala, etc. quibus perturbatur respublica: unde tale juramentum contra bonos mores esse censendum est, et consequenter simul irritandum cum matrimonio. Quoad usuras est disparitas; quia solvere usuras nec peccatum est ex se, nec jure canonico prohibitum, nec boni publici causa irritatum; licet usuras exigere omni jure prohibitum sit; ergo, cum juramentum de usuris solvendis sine peccato servari possit, valebit.

CAPUT VII.

DE UNITATE MATRIMONII.

356. Duobus modis matrimonium dici potest *unum*: *Primo*; quia unus cum una conjunctus est. *Secundo*; quia priore conjugē defuncta, alteram postea non ducit: utraque ea unitas *monogamia* appellatur, et monogamus, qui uni conjunctus est, vel fuit. Priori unitati opponitur polygamia simultanea; posteriori successiva. *Polygamia simultanea* vero, ut ex ipsis vocibus liquet, dicitur, dum vir plures uxores simul sibi jungit; *successiva*, si vir successive plures uxores ducat, ita ut nova succedat priori demortuæ. Quod si vir secundam tantum uxorem priore mortua ducat, *bigamia* in jure dicitur, et vir bigamus. Pari modo unitati matrimonii *polyviria*, dum eadem uxor pluribus viris nubit, opponitur, quæ, ut de polygamia dictum, vel simultanea, vel successiva potest intelligi.

ARTICULUS I.

AN LICITA SIT POLYGAMIA SUCCESSIVA? ET QUÆ ECCLESIE TUM LATINÆ, TUM GRÆCÆ CIRCA SECUNDAS, ET ULTERIORES NUPTIAS FUERIT DISCIPLINA?

357. *Nota.* Secundas nuptias ceu jure divino illicitas atque irritas, teste Aug. Lib. de Hæresib. c. 26., damnaverant olim Montanistæ, quibus se Tertullianus adjunxit Lib. de Monogamia c. 1. *Hæretici* (Marcionitæ), inquiens, *nuptias auferunt. Psychici* (Catholici) *ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt... Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neque licentia defendenda, quia psychica est. Illa blasphematur; ista luxuriatur.* Idem dogma postea Novatianis placuit: *eos enim*, refert THEODORETUS Lib. 3. Fabularum hæreticarum cap 5. (opp. t. 4. p. 229. D.) *qui secundas nuptias inierint, a sacris Mysteriis repellunt.*

358. *Dico I.* Nec secundæ nuptiæ, nec posteriores jure divino illicitæ sunt aut irritæ.

Prob. I. Tales nuptiæ 1^o. non repugnant legi naturali, quia non repugnant matrimonii fini tum primario, tum secundario. 2^o. Nec repugnabant olim legi Mosaicæ; hæc enim eas nusquam prohibet, sed potius approbat, dum Judæis præcipit, ut ducant mulierem, quam frater absque liberis reliquerit. 3^o. Nec adversantur legi Evangelicæ; hujus enim auctor Christus eas nullibi aut damnat, aut vetat. Imo legi Evangelicæ plane conformes sunt; nam, et

Prob. II. positive. 1. Cor. 7. absolute docet Apostolus: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.* Quæ verba diligenter expendens Augustinus L. de bono viduitatis c. 12. notat, Apostolum non dixisse, *si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius*, sed indefinite *vir ejus*; proinde, marito mortuo, semper licebit nubere alteri, et similiter viro mortua uxore ducere aliam, cum sit par ratio.

359. *Dico II.* Nec Ecclesia latina unquam secundas et posteriores nuptias aut irritas aut illicitas fecit, vel judicavit.

Prob. I. negative. Nullus enim latinorum Patrum produci potest, qui nuptias illas irritas aut illicitas fuisse asseruisset, quod alias certe fecissent vigilantissimi pastores, si vel illicitæ tantum fuissent. Ideo et S. Hieronimus epist. ad Geruntiam (al. Ageruchiam epist. 123. vel 11.) dum refert n. 10, Damasi tempore fuisse Romæ par conjugum, quorum alter viginti uxores sepelierat, altera maritos viginti et unum, licet id graviter ferret, non tamen nuptias perstringebat in se ceu illicitas, sed tantum excessum libidinis et concupiscentiæ.

Prob. II. positive. Patres latini, licet innuant temperare a novis nuptiis rem esse consilii, id tamen non esse præcepti volunt sive divini, sive ecclesiastici. Sic S. AMBROS. Lib. de Viduis (opp. t. 2. p. 203. E.) *Quod pro consilio dicimus, inquit, non pro præcepto imperamus... neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus... licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere.* S. AUG. Lib. de bono viduitatis c. 12. *De tertiis et de quartis nuptiis, et de ultra pluribus, ait, solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre:* ac in medium proferens mulierem, quæ septem viros habuerat, a Sadducæis Christo propositam dicit: *sed nec ipsam tot maritorum mulierem Christus damnavit.* Adde quæ ex eodem S. Patre in concl. præc. retulimus, et quæ eod. Lib. de bono Vid. c. 11. enunciat: *ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias malum esse.* S. HIERON. postquam tot laudibus virginitatem extulisset contra Jovinianum, ut prope nuptias depressisse videretur, in epist. ad Pammachium sive apologia, quam adversus Jovinianum adornavit (opp. t. 1. epist. 30. al. 50. et 48.) suam et Ecclesiæ mentem palam aperit: *ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo secundo marito nubere.* Unde et Conc. Florent. in Decreto pro Jacobitis docet, non solum secundas, sed tertias, et quartas et posteriores nuptias licite contrahi posse.

360. *Obj. I. S. Hieronymus Lib. 1. contra Jovinianum n. 7. asserit fidelem, qui iterato nupsit, indignum esse, qui Christi corpore reficiatur. II. In epist. ad Ageruchiam cit. ait, laicos eadem lege teneri ad monogamiam, qua sacerdotes: Laicus tenetur mandato, per quod ad sacerdotium pervenitur; ergo secundas et posteriores nuptias putavit illicitas. III. Si secundæ et posteriores nuptiæ essent licitæ et validæ, ergo etiam essent sacramentum, sed hoc videtur falsum juxta sensum Ecclesiæ 1º. quia bigamia quoad receptionem ordinum causat impedimentum canonicum sive irregularitatem; ergo non videntur habitæ ut sacramentum. 2º. Quia secundæ nuptiæ non benedicuntur.*

Ad 1º. R. S. Hieronymus velle, quod iteratæ nuptiæ arceant a communionem, non quidem in se, sed in causa, scilicet ratione libidinis, ob quam ut plurimum ad iteranda matrimonia impelluntur. Responsio patet ex eo, quod, ut paulo ante notavimus, cum S. Doctor virginitatem contra Jovinianum adeo extulisset, ut visus esset damnare nuptias, ideoque culparetur, palam professus fuerit, nuptias in se licitas esse, quantumcumque iteratas.

Ad 2º. R. S. Doctorem voluisse, laicum, si ad sacerdotium pervenire velit, debere abstinere a secundis nuptiis juxta consuetudinem Ecclesiæ bigamos a sacerdotio arcentis; vel laicos tantum ex decencia quadam teneri, ne alioquin sibi ad sacerdotium aditum præcludant.

Ad 3º. R. C. Maj. N. min. Nihil enim deest ad rationem sacramenti; non materia et forma, nec intentio, ut supponitur; non etiam significatio unionis Christi cum Ecclesia; nam hæc significatio in matrimonio duplex est, essentialis et accidentalis; prior consistit in eo, quod matrimonium sit unius cum una, sicut Christus unitur uni Ecclesiæ; altera stat in hoc, quod prius non fuerit unitus cum altera; licet ergo accidentalis et secundaria desit; semper tamen habetur prior et essentialis, quia est matrimonium unius cum una.

Ad 1º. prob. R. N. Cons. Illa enim irregularitas non est inducta ideo, quasi secundæ nuptiæ sacramentum non essent, vel in iis esset contracta culpa; qui enim, inquit S. Ambros. epist. 82. iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa eximitur sacerdotis; sed ob defectum sacramenti, id est, perfectæ significationis sacramenti matrimonii, ut ait Innoc. III. c. 5. de Big. non ord. Matrimonium enim fidelium significat primario et essentialiter conjunctionem Christi cum Ecclesia, velut unius cum una; secundo vero ex dictis significat conjunctionem Christi cum Ecclesia tanquam sponsa unica, ante quam non fuit alia; ad hanc vero significationem repræsentandam bigamus ineptus est; ac proinde decere non videtur, eum sacramenta ministrare aliis, qui ipse in significatione ejusdem patitur defectum.

Ad 2º. prob. R. Equidem de jure non benedici secundas nuptias, sive ambo conjuges, sive alteruter tantum in priori matrimonio benedictionem jam susceperit c. 1. et 3. h. t. Sed ratio est, quia benedictio semel collata semper adhuc durare intelligitur, quam proinde repeti non convenit cit. c. 3. h. t. præsertim cum, uno conjuge excluso, alterius benedictio inconveniens et contra morem Ecclesiæ foret. Dixi autem: de jure; nam de consuetudine, aut statuto in pluribus diocesis etiam secundæ nuptiæ benedicuntur, maxime si sponsa adhuc nunquam fuerit benedicta.

361. *Dico III. Ecclesia græca secundas nuptias nunquam illicitas vel censuit, vel fecit.*

Prob. EX PATRIBUS GRÆCIS. S. BASILIUS epist. ad Amphilochem can. 41. (opp. t. 3. p. 296. A.) Quæ in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit, si mortuus fuerit vir ejus; etc. hic vero de secundis tantum nuptiis loquitur. S. EPIPH. hæc. 59. Novatianos dicit stolidos, quod ab illis non amplius admittatur, qui post baptismum secundam uxorem duxerit. Addi possunt S. GREGORIUS NAZIANZEN. orat. 31., S. CHRYSOST. homil. 19. in e. 7. Epist. 1. ad Cor. aliique, eos, qui secundas nuptias damnant, habentes ut hæreticos; et merito, cum secundas nuptias licere innuat Concilium Nicænum, esseque hoc dogma catholicum, dicens can. 8. (Labb. t. 2. p. 34. A.) Hæc autem pro omnibus eos, Catharos sive Novatianos dum ad Ecclesiam recipiendi sunt, scriptis convenit profiteri, quod Catholica et Apostolica Ecclesiæ dogmata suscipiant et sequantur; id est, et bigamis se communicare, etc. Unde improbabilis redditur opinio P. Gasparis Juenin in Comment. histor. et dogmatico asserentis, quasdam Orientales Ecclesias jure ecclesiastico secundas nuptias fecisse illicitas; neque enim verisimile est, Patres Orientales, præsertim qui post Concilium Nicæni tempora non adeo diu floruerunt, velut Basilius, Gregor. Nazianz. et alii, contradicere voluisse Concilio Nicæno, rem hanc de secundis nuptiis esse dogma catholicum asserenti.

362. *Obj. I. Eos, qui secundo nupsissent, Patres Orientales in Concilio Neocæsarensi poenitentia castigandos voluerunt; ergo secundas nuptias voluerunt illicitas. II. GREGOR. NAZIANZ. orat. 31. (al. 37. p. 650. D. edit. Paris. 1778.) ait Apostolum secundas nuptias aversari. III. S. CHRYSOSTOMUS homil. 32. in c. 19. Matthæi in Opere imperfecto (opp. t. 6. p. 134. E.) secundam, ait, accipere uxorem secundum præceptum Apostoli est; secundum veritatis autem rationem vere fornicatio est.*

Ad 1º. R. N. Cons. Patres modicam poenitentiam imponebant bigamis, non ob culpam in secundis nuptiis admissam, sed ob quamdam incontinentiæ speciem, quam illæ præ se ferre videbantur. Sic et Basilius eidem praxi Conc. Neocæsarensis adhæsit epist. ad Amphilochem. cit. can. 4. Definimus, inquit, annum poenitentiae in digamis: atqui certum tamen est Basilium judicasse secundas nuptias esse licitas; patet enim 1º. ex ejus verbis can. supra relatis. 2º. Quia non adeo diu post Concilium Nicænum scripsit, in quo hæc veritas satis aperte stabilita erat, quod S. Basilium latere non poterat.

Ad 2º. R. D. Ait Apostolum secundas nuptias aversari proprie, h. e. ut illicitas N. aversari improprie, h. e. suadere potius viduis continentiarum juxta illud Apostoli: beatorum autem erit, si sic permanserit C. Hanc esse præcise mentem Gregorii, ex ejus orat. 37. (al. 31.) in illud Evangelii; cum consummasset Jesus hos sermones, clarum fit, cum hæc scribat ibi de matrimonio: primum lex est, secundum veniam et indulgentiam.

Ad 3º. R. Opus illud non esse S. Chrysostomi, sed vel hæretici auctoris, vel alterius doctrinam S. Chrysostomi corrumpentis. Et vero ut observat Bellarminus Lib. de Matrim. c. 19. aliique passim, plurima in eo libro continentur, quæ cum orthodoxa fide, et doctrina S. Chrysostomi, alibi ab eo

tradita aperte pugnant. Quin in cit. textu crassam contradictionem notare est, longe abhorrentem a tanti Doctoris sapientia; ut: secundam accipere est præceptum Apostoli; et tamen vere fornicatio est; an enim Apostolum veram fornicationem vel suasisse vel præcepisse quis prudens dixerit?

363. *Dico IV.* Satis probabile est trigamiam in quibusdam Orientalibus Ecclesiis habitam fuisse illicitam, saltem jure ecclesiastico; licet non irritam.

Prob. 1^a. p. Ex PATRIBUS GRÆCIS. S. BASILIUS, can. 4. in epist. ad Amphiloeh. trigamiam vocat *fornicationem castigatam*, h. e. ut Balsamon alique Græci interpretantur, fornicationem non vagam, qualis est, quæ cum meretricibus promiscue exercetur, sed cum una muliere: et can. 50. *Ecclesie inquinamentum*. S. Basilio consensit S. GREGORIUS Nazianz. orat. 37. cit. (p. 650. D.) dicens: primum matrimonium lex est; secundum venia et indulgentia; *tertium iniquitas*, sive legis transgressio, ut ex voce græca colligitur; tertium enim matrimonium *παρνομία* vocat; et ex oppositione, quam facit inter matrimonium secundum et tertium. S. EPIPHANIUS vero, alique, dum exponunt illud Apostoli 1. Cor. 7. *mulier alligata est legi*, etc. secundas concedunt nuptias juxta Apostolum, nihil tamen unquam addendo de tertiis. Dixi: *probabile est*; tantum enim saltem merentur verba Græcorum Patrum sumpta in sensu obvio atque proprio.

364. *Nec dicas* cum P. Billuart: Si Patres illi Græci trigamiam habuissent illicitam; ergo 1^o. sibi aperte contradixissent, cum alibi non tantum secundas, sed etiam superiores nuptias ut licitas agnoscunt, ut patet ex S. Basilio can. 4. epist. ad Amphil. 2^o. Sic damnassent praxin et fidem universalis Ecclesie, quod non est credibile de tantis Patribus. Nam

R. N. 1^{am}. *seq.* quoad Patres Græcos, de quibus solis hic sermo est; licet enim nuptias secundas agnoverint licitas, ut Basilius can. et epist. cit. ubi de secundis tantum nuptiis agit; non tamen trigamiam, de qua loquimur.

N. etiam 2^{am}. *seq.* Nam tertiæ et superiores nuptiæ an permittendæ sint, vel non, ad disciplinam pertinet, ut manifeste probatur ex nuptiis quartis, imo ex tertiis in quibusdam casibus, in Ecclesia græca illicitis et invalidis, ipso approbante et confirmante Joanne X. summo Pontifice, ut dicitur concl. *seq.* Poterant igitur Orientales Ecclesie illicitas habere nuptias tertias, quin propterea universalis Ecclesie praxin, et multo minus fidem damnare voluisse censendæ sint.

Prob. 2^a. p. Quia, licet Græci aversarentur tertias nuptias; matrimonium tamen tale nunquam dissolvisse, aut dissolvendum declarasse deprehenduntur, quod certe alias declarassent; sed impleta quinquennii pœnitentia, quam imponebant trigamis, teste Basilio can. 4. cit. ratum habebant matrimonium. Res clara fit ex iis, quæ porro Basilius can. 50. cit. epist. tradit: *Verumtamen ejusmodi res, tertias nuptias, ut Ecclesie inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subjicimus*, matrimonium scilicet dissolvendo, ut volunt interpretes; cum de pœnis publicis intelligi non possit, quibus juxta eundem Basilium can. 4. subjiciebantur, *ut quæ soluta ad profusa fornicatione sint magis expetenda.*

Nec obstat, quod Basilius matrimonia talia dicat esse fornicationem; hanc enim non stricte, sed latius sumit, 1^o. quia tales nuptias habebat saltem illicitas; 2^o. quod tertiæ et superiores nuptiæ potius explendæ libidinis et concupiscentiæ causa, quam procreandæ prolis ut plurimum fieri intelligeret; ideoque trigamum indignum censuit mariti nomine, quia videlicet mariti finis esse primus debet prolis generatio et educatio; hic vero in trigamis esse communius non solet.

365. *Dico V.* Vi præsentis disciplinæ apud Græcos tertiæ nuptiæ non nisi in certis casibus valide contrahi possunt; quartæ vero nunquam. Casus autem, in quibus tertiæ nuptiæ apud Græcos contrahuntur valide, sunt, si bigami quadragesimum ætatis annum nondum attigerint, et prole careant ex priore matrimonio suscepta. Quod si annum illum attigerint, et prolem habeant ex priore matrimonio, sunt prorsus ad contrahendum inhabiles; si vero prole careant, licet eum annum attigerint, adhuc ad tertias nuptias admittuntur, sed imposita pœnitentia majore, quam alias trigami subire debent dum valide contrahunt. Ita Areudius Lib. 7. de Concord. c. 29.

Jus vero illud, quo in Ecclesia græca trigami sunt redditi inhabiles ad quartas nuptias, paulo post initia seculi X. *solemniter et aperte stabilitum* fuit auctore Nicolao I. patriarcha Constantinop. et Constantino Porphyrogenito imperatore, confirmante Joanne X. summo Pontifice, occasione turbarum, quæ ob Leonis cognomento Sapientis quartas nuptias cum Zoe exortæ fuerant, quem propterea Nicolaus segregaverat a fidelium communionem, sed Sergio Papa, ad quem Leo confugerat, hujus matrimonium ratum habente, et per Legatos Nicolaum exauctorante. Qui postea in sedem restitutus, approbansque Leonis matrimonium, a Joanne X. Sergii successore simul obtinuit, assentiente Constantino Leonis ex Zoe filio, ut quartæ nuptiæ nunquam deinceps possent valide contrahi. Decretum in regulæ formam Orientales Episcopi, qui ad finiendam litem convenerant, ita protulerunt sub titulo: *Tomus unionis... Quod si quis ad ejusmodi conjugium, quartas nuptias, progredi decreverit, ab omni cætu Ecclesiastico exclusus esto, et ab ipso in sanctam ædem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit; hoc enim sanctis quoque Patribus, qui ante nos vixere, visum fuit; ac nos sane sententiam reddentes apertiore, eum velut alienum a republica Christiana abdicamus.* Unde simul colligitur ratio, cur dixerim supra, paulo post initia seculi X. jus illud *solemniter et aperte stabilitum esse*; Patres enim aiunt, hoc sanctis Patribus jam ante visum esse, et se tantum apertiore sententiam reddere. Igitur habebantur jam ante quartæ nuptiæ ut invalidæ, licet non ita aperte, aut universim aliqua lege communi ita statutum fuisset.

ARTICULUS II.

QUO JURE POLYGAMIA SIMULTANEA PROHIBITA SIT?

366. *Nota I.* Qui a tempore legis Evangelicæ pluralitatem uxorum simultaneam auderet asserere licitam, nemo fuit, nisi infamis Mahometes, ac postremis temporibus Anabaptistæ et Lutherus, qui Philippo Hassiæ principi ut